

W. 522, 5.

B. 1

II n
7070

MEDICORUM
INSIGNIUM
HUMANITATIS STUDIORUM
VINDICUM
TERTIAM DECADEM
UNA CUM
TRIGAE THEOLOGORUM PIRNENSIVM
HUMANITATIS VINDICUM AEQUE CLARISSIMORUM
RECENSET
ET
VIRO SUMME REVERENDO
D. CHRISTIANO CAROLO
STEMPELIO
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI
PIRNENSIVMQUE SUPERINTENDENTI GRAVISSIMO
NUPTIAS SIMUL SECUNDAS
CONGRATULATUR
VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS IUN.

MISENAE D. XVIII. CAL. QUINTIL. CIO IO CC XXXX

EX OFFICINA LOEVVIANA.



J. M. Lobrino.

MEDICORUM
HUMANITATIS STUDIUM
TRIGALINOL...
MUNICIPAL...
VIR SV...
DO...
CHRISTIANO CAROLO
STAMM...
THEOLOGICAE DOCTORI
VALENTINUS...
OFFICINA FORMY...

A. C.





VIR SVMMÆ REVERENDÆ

Medicorum, qui in studiis elegantioribus ampli-
candis elaborarunt, dum excutio vitam, inuenio
vix uni, alteriue, studium linguæ Germanicæ ex-
poliendæ curæ cordique fuisse. Fortassis haud mi-
nus eos, quam alios, tenuit opinio, hac lingua non
æque, ac latina, posse artes ac scientias tradi, quanquam usus
doctorum in Academiis, & multitudo librorum, quibus omnis
doctrina exponitur, jam dudum eam confutauit. Operæ igitur
pretium fuerit ante, quam vitas aliquot Medicorum re-
censeam, de initiis excultæ ab eruditis Germaniæ linguæ
pauca præfari.

A Novitatem

MEDICI STUDIO RUM

Novitatem rerum scimus gratam & acceptam esse homi-
ni. Itaque quum Latina, Græca, Hebraica lingua Seculo XV.
a barbarie liberari, & veluti renasci, cœpisset, tantus ma-
iores nostros earum amor cepit, ut vernaculam præ iis con-
temnerent, nec eruditi facile, nisi Latino sermone, uterentur.
LUTHERUS (a) igitur primus facem admovit eruditæ, vernacula
diuinorum oraculorum interpretatione publicata, qua ac-
censi, patriæ linguæ vim & elegantiam agnoscerent, & ama-
re inciperent. Tum enim M. IO. CLAVIUS, primus ausus est Gram-
maticam Germanicam, cuius præcepta ex LUTHERI scriptis
collegerat edere, (b) quem secuti sunt IUSTVS GEORGIUS SCHOT-
TELIUS, IO. BOEDICERER, CHRISTIANUS STEINBACH. Vnus, quod
miror fere, Medicorum, qui vernaculæ linguæ, operam daret,
GEORGIUS HENISCHIVS fuit, cuius mentionem hoc in fasciculo
feci. Adeo maiores nostri externis potius, quam a parenti-
bus veluti hæreditate acceptæ linguæ excolendæ seruibant!
Nostra hæc ætas, utilitate studii huius percepta, plus ponit
operæ in eo, nec privati solum, sed & publicæ, societates id
agunt, ut linguæ tam copiosæ, tam grauis, elegantiam per-
ficiant. Nec tamen idcirco iacent, aut contemnantur, ab
eruditæ humanitatis studia, quin & a Medicis; & a Theologis,
incrementa capiant.

Accibe,

(a) edito libello de Nominibus propriis Germanorum. Vrsellæ 1559.
(b) sub titulo Grammatica lingue Germanicæ M. IO. CLAVII Hertz-
bergensis ex Bibliis LUTHERI Germanicis, & aliis eius Libris
collecta 1578 in sua Lips. IO. RHAMBA Excudebat.

HUMANITATIS VINDICES

5

Accipe, VIR SVMMEREVERENDE, tertiam Decadem Medicorum, quos litterarum elegantiorum insignes vindices sua ætas protulit, Chronologico ordine descriptam, & boni hanc iuuenilem audaciam consule.

ADRIANUS MATTHÆUS natus est in Hispania parentibus Iudaicis, nihilo tamen minus Christianam religionem professus, tum & Medicinæ Doctor, & eques auratus, factus. Linguae autem Hebraicae notitia tantum valuit, ut, AEGIDIO BUSLIDIO ab ERASMO Lib. III Epist: XXXIX commendatus, illam primus Louanii ab A. 1518. Calend Septembr. magno cum plausu eorum qui audirent, per annum unum, et menses tres, doceret. Inde in Galliam se contulit, ediditque Lugduni 1619 in sua *Introductionem breuem in linguam Ebraicam*, & in 4ta. *Oratiunculas tres, Dominicam Salutationem Angelicam, & Saluæ regina*, Ebraice redditas. Denique in Academia Vitembergenſi docuit Ebraicas litteras. (c) *Fabius Pacius* Vincentiæ in lucem editus est A. 1547 matre LUCRETIA ANGIOLETTA patre PAULO, vir propter insignem eruditionem, eximiamque virtutem, laude dignissimus, qui in Patauino Gymnasio tantum studium in Græcam & Arabicam linguam, nec non in artem Poeticam, impendit,

A 3

ut

(c) conf. *Tom. I. Epist. LUTHERI ab AURIFABRO edit. p. 85 sqq.*
 VALERIVS ANDREAE in *Fastis Academicis Louaniensibus edit. 1050*
 AUBERTVS MIRAEVS in *Auclario de Scriptor. Eccl. p. 138 edit. Hamburg.*

ut ad erudiendum in ludo Ticinensi iuventutem paulo post vocaretur. Amore autem in patriam permotus, noluit Patauio discedere, ubique, titulo Doctoris Medici, qui offerebatur, constanter repudiato, morbo consumtus expirauit d. 12. Octobr. 1614.

GEORGIUS HENISCHIIUS lucem adspexit Bartfeldiæ d. 24. April. 1549. præclarus bonarum litterarum instaurator, quas ab incunabilis exercuit, Doctoris Medici dignitatem Basileæ A. 1576. assecutus, eodem anno Professor Logices & Matheseos in Gymnasio Augustæ Vindellicorum constituebatur. Tandem ei cura totius Gymnasii & Bibliothecæ, in usum eiusdem ciuitatis constitutæ, primaria imposita est. Circa id tempus industria eius ex multis scriptis orbi litterario innotuit. Quum in opiam Germanorum Lexicorum sentiret ac doleret, edidit *Thesaurum lingue & sapientiæ Germanicæ* seu *Deutscher Sprach Schatz* (d) Animam tandem d. 31. Maii 1618 efflauit, magna ingenii gloria post se relicta,

ANDREAS

(d) de quo MORHOFFIUS. Anno 1616 in lucem prodit GEORGI HENISCHII viri Docti liber, *Thesaurus lingue & sapientiæ Germanicæ* inscriptus. Atque utinam totus prodisset, usui haud contemnendo futurus. Quippe qui omnia unius cuiusque vocis Synonima, Deriuata, Phrasès, Composita, Epitheta, Prouerbia, Antithetaque una exhibet studiose congesta. Verum non ultra partem primam que littera H germinatur, peruentum est. Tom. I. Lib. IX. Cap. 4. §. 8.

ANDREAS GRUNDLERUS natus Suinfurti, Franconia oppido, linguæ Græcæ & Latinæ studio magnopere inde a puero delectatus, tum huic, tum aliis artibus, operam dedit, inprimis Medicinæ, cuius lauream adeptus est Ferrariæ. Ibi lectissimæ atque eruditissimæ virginis, **OLIMPIAE FULVIAE MORATAE, FULVII PEREGRINI MORATI MANTUANI, filiae**, in litteris Græcis ac latinis versatissimæ, amore captus, eam uxorem duxit. In patriam rediens, incidit in belli turbas, quibus nocturno tempore se expediuit, Heidelbergam fugiens, ubi, a **FRIDERICO-II, Electore Palatino**, receptus, Profefor Medicinæ in Academia constitutus est. Suauissimæ coniugis morte prostratus, paulo post ipse animam efflauit A. 1555. Sepultis Heidelbergæ in cœmeterio Petrino epithaphia posita sunt, quorum argumentum legimus in **ADAMI Vitis Erudit. Germ.**

PETRUS KIRSTENIUS Vratislaviæ d. 25 Decembr. 1577. natus, decimo iam anno suæ ætatis rudimenta doctrinæ Christianæ, linguæ Latinæ, & Arithmeticæ, hauserat. Patre **PETRO KIRSTENIO** primario urbis Vratislaviensis ciue ac mercatore, & matre, **MARTHA MEUSLINGIA, mortuis**, Posnam Polonorum a tutoribus missus est, ut linguam Sarmaticam disceret, feliciusque aliquando mercaturam facere posset. Didicit eam intra spatium unius anni & sex mensium. At huius cognitione non contentus, animum ad studium litterarum adplicuit, nec Latina solum, sed & Græca, Hebraica, Syriaca, Arabica, confectatus est, ac cum Medicinæ studio, unde

unde Doctoris titulum adquisiuerat Basileæ, coniunxit. Arabice imprimis linguæ tanta cupiditate tenebatur, ut, quicquid patrimonii supererat, in adornandam Typographiam Arabicam infunderet. Perspecto eius ingenio, senatus Vratislauen-
sis eum Rectorem Gymnasii, & Ephorum reliquarum scho-
larum, creauit. Ac tum quidem magna cum laude docuit,
donec graui morbo impeditus, decedere prouincia cogere-
tur. Sanitate autem recuperata, totus in Arabicam linguam, &
artem Medicam incubuit, quarum scientiam ut perficeret,
exteras regiones perlustrauit, ac reuersus, Medicinæ artis Pro-
fessor Vpſaliæ, regisque Suecici Archiater, iussus est. Letha-
li tandem pulmonum malo adfectus, obiit d. 8. April. 1640. (d)

DAVID HERLICIUS Cizii d. 28 Decemb. 1558, patre AN-
DREA HERLICIO, senatore, matre SUSANNA, BALTHI HA-
NEMANNI, consulis in oppido Weida, filia, genitus, uir de
litteris humanioribus meritissimus, Latinæ & Graecæ linguæ,
Poeseos item imprimis gnarus. Commentario in Horatii artem
Poeticam, aliisque Poematibus in publicum editis, clarus, ab
VLRICO, Duce Megapolitano, Gustrouiæ oblatum munus
ConReſtoris suscepit, post bienium autem deposuit, ac Medi-
cinam fecit Prensloviæ, & Anclami, inde Professor Mathe-
seos Gryphswaldia, ac tandem Medicus Ordinarius Lube-
censis ciuitatis, constitutus. Vnde quam Stargardiam se celsisset,
incendioque Bibliotheca, & omnes furtonæ eius absumptæ
essent, uitam d. 15 Augusti 1616 finiit. (e)

ADOLPHUS

(d) Conf. WITTENII *Memoriae Medicorum*

(e) uid. WITTEN I. c.

HUMANITATIS VINDICES

ADOLPHUS VORSTIUS, Batavus, Delphis prognatus est 1597 patre **AELIO EBERHARDO**, Medicinæ Doctore & Professore Lugdunensi, quem **PETRUS CUNAEUS** Oratione publica laudavit, (g) matre **GERTRUDA** van **VOORST**, ex nobili familia Ultraiectina oriunda. Annum decimum quintum agens Academiam Lugdunensem Batavorum petiit, **HENRICI BREDII**, **CUNAEI**, **HEINSII**, **BAUDII**, **IACCHAEI**, institutione præcepta latini sermonis, **VULCANI** Græcæ, **ERPENII** Arabicæ, percepit, illisque satis tinctus, altiora tractare coepit, artem imprimis medicam, quam deinde in Academia Lugdunensi docuit publice, **MAURITII** Ducis Archiater simul appellatus, E calculi atque Arthriticis doloribus laboravit frequenter, iisque enectus tandem desit uiuere A. 1663.

LEONHARDUS de **CAPUA**, oppido Bagnollo Neapolitanæ cognitionis oriundus Anno 1617, initio quidem sacrarum ditionum litterarum sectatus, breui post Medicinam, Græcæque litteras, didicit, quo **HIPPOCRATEM**, **GALENUM**, aliosque Medicos, legere posset. De Medicarum præceptionum certitudine quamuis dubitaret haud dissimulanter, in societatem tamen Academiæ Arcadum ascitus est, dictusque **ALCESTUS CILLENIVS**. Ipse autem instituit *Academiam Inuestigantium*, quæ in Marchionis d' **ARENA** arce, quicquid in Medicina, aut Philosophia, dubium uideretur, discussum conueniebat. Diem obiit supremum d. 17 Iunii 1695.

CHRISTIANUS OSTENFELD uitam inijt Viburgi Cimbrorum d. 14. Decemb. 1619. Patrem habuit **PETRUM OSTENFELD**, consulem urbis, matrem **ANNAM CHRISTIANI**. Puer adhuc tenuit linguam Græcam & Hebraicam. Eam autem linguæ Latinæ notitiam habuit, ut tunc temporis fere princeps Latine callentium haberetur. Barbarici regnantis malo ut mederetur, edidit *Pharum Latinitatis*. Præmium suæ industriæ id

(g) uid. ORATIONES eius Lips. 1674.

primum tulit, ut munus Con Rectoris in schola Viburgensi primus obtineret. Eo deposito peregre abiit, & in Academia Patavina per integrum annum Rectoris dignitatem gessit, missusque identidem ad senatum & Ducem Venetum orator est. Quo ipso meritus est, ut eius imago marmorea in Palatio Academiae poneretur. Redux in patriam docuit Medicinam Hafniae, eiusque Professor est iussus, duxitque, nullo exemplo, armatus ipse ciues Academicos aduersus hostes Suecos, Hafniam oblidione cingentes. Aetate confectus mortuus est d. 31 Aug. 1670. (b)

IOANNES ANDREAS FISCHER exiit utero matris 1667. d. 28. Nouemb. Suadente patre, Medicinae sectatus est studium, quum antea Iurisprudentiam excoleret. Doctor Medicinae creatus, Physicus ditionis Henacensis designabatur. Erfurti autem Professor Medicinae extraordinarius, ibidemque ab A. 1699 usque ad annum 1717 officio Professoris Logices, ac stili, fungebatur. Resolutis nervis tandem d. 15 Feb. 1729 ex uita excessit.

Hi sunt Medici, quos enarrandos mihi putavi litterarum bonarum amplificatores ac vindices. Nec vero desunt Theologi eodem in censu habendi, nec ii quidem ab exteris rependi. In aliquibus tamen tantum, iisque Pirnensibus sacrorum antistitibus, qui eodem in munere, quod iam ornas, TE, VIR SUMME REVERENDE, antecesserunt, et a Summe Venerabili CHRIST. FRIED. VVILISCHIO (i) recensiti sunt, commemorandis iam occupabor. Primus eorum est

M. BALTHASAR CADEMANN, qui Rector Gymnasii Budissinensis ante fuerat A. 1562, quam in aula Dresdensi sacra oracula interpretatus est, ibique *Libro Concordiae* 1580 subscripsit.

(b) conf. FREHERUS l. c.

(i) qui edidit *Memorias Superintendentium Pirnensium, Annaebergae* 1712.

psit. Notandum id est probe, ne cum Cl. LUDOVICO (k) aberremus a vero, qui Budissa Pirnam vocatum esse tradit. Dresda videlicet Pirnam A. 1587 vocatus est, sed Calvinistarum, qui tunc temporis in Saxonia maxime florebant, artibus munere suo motus, et e domo cum tota familia sua eiectus, dato successore M. FELICE FABRICIO, Leisnicensium Superintendente, qui tamen breui post, Calvinismi accusatus, depulsus inde, CADEMANNUS contra eodem Anno 1691 restitutus est, placida demum morte e vita abreptus d. xvii Octobr. 1697.

BARTHOLOMAEUS RULICH, Lommacenſis Misnicus, litteris humanioribus in primis operam dederat, ut qui initio in Gymnasio Grimmeni iuventutem litterarum cupidam erudierat, postea Rectoris munere in Athenaeo Cruciano Dresdae 1582 functus, tribusque annis nondum exactis, Superintendens Pirnae A. 1586 constitutus, paulo post Lipsiae ad Archidiaconi ad aedem D. Nicolai 1587 dignitatem euectus, denique ecclesiae Lutheranae Augustae Vindelicorum Pastor et Senior praepositus, ubi de vita decessit 1625 d. 22. Febr. aetatis septuagesimo primo. (l)

Nunc ad TE, VIR SUMM REVERENDE, mea se convertit oratio. Patere, quaeso, in iis TE cenſeri, in quibus locum obtines, ac tueris.

CHRISTIANUS CAROLUS STEMPELIUS, oriundus Misena 1689 d. 24. Octobr. patre D. CHRISTIANO STEMPELIO, tum Medico ordinario provincialis Scholae Misnensis, post Archiatro FRIDERICI AUGUSTI, Regis Polonorum, A. 1705 mortuo, matre autem MARIA ELISABETHA, SAMUELIS SEYFRIEDII, Quaesturae Freibergensi et circulo

B 2

lo

(k) in der Schul- & Historie P. II. p. 244.

(l) conf. L. ZACHARIAE Schneiders Chronicon Lipsiense p. 218. RIPPINGI Arcana Bibliothecae Thomanae Lipsiensis sacra. p. 112 seq.

x 3443318

1018


ax
Tn
1070

12 THEOLOGI STUDIORUM HUMANITATIS VINDICES

Io Montano Praefecti, filia, quam Deus per multos dehinc annos saluam sospitemque conseruet. In tenera aetate priuata institutione usus *KAYSERI*, *MANITHI* et *IACOBAEI*. Dresdensem scholam adultior frequentauit *GELLENII* et *GELLII*, clarissimorum virorum, opera et institutione formatus, donec A. 1708, Pro Rectore *KIRCHMAIERO*, ciuibus Academicis Wittenbergensibus adscriberetur. Multum se Celeberrimis Viris, *SCHROEERO* in disciplinis Philosophicis, *WICHMANSUSIO* in linguis Orientalibus, *BERGERO* in arte dicendi, *KLAUSINGIO* in Iuris prudentia uniuersali ac Politica, nec non in Mathefi, *LOESCHERIS*, suo et patri meo Venerandis, Theologia, aliisque doctoribus, debere professus est. Magister Philosophiae A. 1710 creatus saepiuscule de cathedra publice quaestiones ventilauit. Inde Lipsiam se conuertit, rediit tamen VVittenbergam, et, *BRENDELIO* Decano, A. 1713 in amplissimo Sapientum collegio locum obtinuit, atque id, quod summa cum industria didicerat, alios docuit, scholis priuatis apertis, in quibus Methaphysices, doctrinae Moralis, et Hebraicae linguae, praeepta daret. Hinc titulum Candidati Theologiae A. 1715 adeptus, sequentique anno antiistes sacrorum Iessenensis iussus, summos honores in Theologia capessendi facultatem consecutus est, post etiam Superintendens Pirinae constitutus, ubi, lectissima coniuge mortua, cum *IOHANNA ELISABETHA*, *VALENTINI ERNESTI LOESHERI*, Dresdensis ciuitatis, et agri urbi contributi, antistitis filia, nuptias secundas hodie celebrat.

D. O. M., a quo, tanquam fonte, omne bonum fluit, secundas has faxit nuptias, proque sua benignitate vires *TIBI* largiatur, ac successus laboribus, *TE* que, ac novam Nuptiam, ad extremam usque senectutem viuere feliciter, omnique prosperitate perfrui, iubeat,

Vale.




265



nr. 522, 4.

B. 1

II n
7070



B.I.G.

Farbkarte #13

MEDICORUM
INSIGNIUM
HUMANITATIS STUDIORUM
VINDICUM
TERTIAM DECADEM
UNA CUM

TRIGA THEOLOGORUMPIRNENSIIUM
HUMANITATIS VINDICUM AEQUE CLARISSIMORUM
RECNSET
ET

VIRO SUMME REVERENDO
D. CHRISTIANO CAROLO
STEMPELIO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI
PIRNENSIIUMQUE SUPERINTENDENTI GRAVISSIMO
NUPTIAS SIMUL SECUNDAS
CONGRATULATUR
VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS IUN.

MISENAE D. XVIII. CAL. QUINTIL. CIO IO CC XXXX

EX OFFICINA LOEVVIANA.



J. M. Cobrino.

